



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Dispvatio XX. De regulis Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO VIGESIMA.

De regulis Fidei.

DEVUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: inter alia verò ad hoc, salutem scilicet consequendam media, unum maximèque necessarium est Fides, quam etiam omnibus unam esse voluit, juxta illud ad Ephesios 4. vers. 5. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Vt ergo in tantâ hominum multitudine, ac gentium varietate, quæ ex Dei benignitate ad hunc finem & Fidem ordinantur, via aliqua & ratio inveniretur eò perveniendi, regulæ quadam infallibiles ab eo statuta sunt, quarum directione ac ductu veram Fidem consequi ac retinere possint. Ex his verò regulis quadam vivæ sunt, seu animata, ut Romanus Pontifex & Ecclesia; quadam inanimata, ut Scriptura, Traditiones, & Ecclesiæ decreta in iis rebus quæ ad Fidem spectant. Per has itaque vias doctrina ad salutem consequendam necessaria nobis innotescit, ut in sequentibus declarabimus.

SECTIO PRIM A.

An, & quomodo Scriptura sit regula Fidei.

I.
Quid sit
Scriptura.



SCRIP TURA passim definiri solet. Quid scriptum instinctu Spiritus Sancti, non sensum tantum sed etiam verba dicentis. Sic Petri 2. c. 1. vers. 21. ita loquitur Apostolus: Non voluntate humanâ, &c. sed Spiritu inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Item Regum secundo, c. 23. v. 2. dicit David: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Sic insuper Lucæ primo, vers. 70. dicitur: Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum ejus. Hinc etiam Psalmo 44. v. 2. dicit Propheta regius: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Alia etiam plurima Scripturæ loca in hanc rem à Bellarmino & aliis, qui contra hujus temporis Sectarios scripserunt, afferuntur: sed hæc instituto nostro sufficient.

Variis divini verbi testimoniis ostenditur Scripturam esse verbum Dei.

II.
Tristantur frequenter Patres sacram Scripturam esse verba à Deo nobis tradita.

Accedunt Patres, apud quos nihil frequentius quam sacram Scripturam esse verba Dei, seu à Deo nobis peculiariter tradita: sic S. Augustinus concione secundâ in Psalmum nonagesimum: De civitate, inquit, à qua peregrinamur, scripta nobis venere litera. Sanctus etiam Chrysostomus initio enarrationis in Isaiam ait Prophetas esse dictos videntes, non quia clarè viderint semper, sed quia tantâ certitudine audiebant, ac si viderent. Eodem modo S. Hieronymus Isaiæ primo,

& in Abdiam, ubi Prophetas ob certitudinem, non ob claritatem dicit uti vocibus visionis & videntis, eo quòd sensus visus sensuum omnium sit certissimus: ubi dum dicunt Prophetas non videre, sed audire, verba quæ audiunt, sunt verba Dei ad eos interiùs loquentis; unde & Scriptura, quam nobis reliquerunt, est verbum Dei: hinc etiam vocatur Scriptura divina, eloquia Dei, & anonomastice Scriptura.

Docent Patres Prophetas audire, non videre.

Quando autem dicitur in Scripturâ sacrâ debere etiam verba à Spiritu Sancto dictari, hoc duobus modis, inquit Suarez, contingit; primò ita ut non conceptus tantum, sed singula etiam verba in particulari suggerat, quod in scriptis Prophetis accidit. Alio modo, assistendo ne scriptor canonicus erret, verba etiam quadam ei interdum suggerendo, permittendo nihilominus ut proprio ingenio ac industria aliquando utatur, eum tamen peculiariter semper dirigendo, ut talibus verbis res explicet, in quibus nihil indocens aut indecorum cernatur, idque ex peculiari motione & intentione, ut res illæ hoc modo explicarentur. Hunc etiam posteriorem modum sufficere ait Suarez hic, Disp. 5. Sect. 3. num. 5. Existimo tamen priorem modum ad rationem Scripturæ esse necessarium.

III.
Verba sacra Scripturæ duobus modis dici possunt esse à Deo.

In hoc ergo differt Scriptura à definitionibus Ecclesiæ, quæ quamvis etiam sint verbum Dei, & per eas ipse nobis loquatur, intendit namque substantiam definitionum, & ut exterius verbis exprimentur, animo scilicet mentem suam per eas nobis manifestandi, verba tamen in particulari non intendit, sed tantum movet eos penes

IV.
Quomodo definitiones Ecclesiæ differant à Scripturâ.

quos

TOM. II.

In definitio-
nibus verba
generatim
tantum a
Deo spon-
diantur.

quos est potestas definiendi, ut congruo modo veritates hæc exprimant, & nobis credendas proponant. Deus ergo in utrifque sensum, seu res ipsas in particulari intendit, & in Scripturâ ad ipsa etiam verba specialiter dirigit, & ad hæc peculiariter verba scribenda hagiographum movet, in definitionibus autem verba in genere tantum, modò ad rei definitæ declarationem sint idonea, intendit.

V.
Declaratur
quo pacto
Scriptura
sive regula
Fidei.

Ex his itaque infertur Scripturam sacram esse regulam Fidei, cum sit certissima, utpote Verbum Dei, & in ejus auctoritate, quæ infallibilis est, fundata. Quare nihil in Scripturâ, quantumvis minimum reperitur, quod non sit a qualis auctoritatis cum maximo: unde mendacium aut falsitatem in Scripturâ reperiri est impossibile, & est regula planè infallibilis. Hinc S. Paulus 2. ad Timotheum 3. vers. 15. *Ab infantia, inquit,*

Ex sacris Li-
teris constat
Scripturam
esse regulam
Fidei.

sacras literas nosti, qua te possunt instruere ad salutem per Fidem: & vers. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum. Ad hanc autem veritatem probandam aptissimum est illud Christi Joannis 5. vers. 39. Scrutamini Scripturas, ille sunt qua testimonium perhibent de me. Quare & Concilium Tridentinum sess. quartâ hanc veritatem expresse definit, & ex communi Sanctorum Patrum traditione amplectendam esse ostendit.

SECTIO SECUNDA.

Objectiones quadam contendentes
Scripturam non esse regulam
Fidei.

I.
Objic. Non
fuisse omni-
bus hagio-
graphis no-
tum se in-
fallibiliter
scribere.

OBJICIES primò: Omnes, qui Scripturam sacram exararunt non sciebant se ex inspiratione Spiritus Sancti, & infallibiliter scribere, ergo ipsorum scripta non erant certa & infallibilia, & consequenter non Verbum Dei, nec norma seu regula Fidei. Respondetur negando consequentiam, ipso facto namque quòd Deus librum illum diceret, infallibilis auctoritatis sit necesse est, & Verbum Dei, sive id sciat scribens, sive non; liber enim aliquis infallibilitatem suam haurit, non à scientiâ scribentis, sed ab intentione dictantis, seu inspirantis.

II.
Librum ali-
quem prius
non cano-
nicum postea
Deus postea
reddere ca-
nonicum.

Unde ulterius existimo posse Deum librum aliquem, qui antea non erat canonicus, reddere canonicum, affirmando scilicet eum esse verum, eo ipso enim quòd hoc præstet Deus, libro illi confert infallibilitatem, acceptatque pro suo, quamvis primò à profano auctore fuerit conscriptus. Quare S. Paulus interdum profanorum auctorum dicta usurpans, ea reddidit canonica. Quamvis autem Ecclesia hoc facere nequeat, potest nihilominus librum, qui necdum est declaratus canonicus, declarare esse canonicum, sicque ostendere divinam auctoritatem illi esse annexam: imò hoc circa libros quosdam canonicos præstitit, de quibus aliquando fuit dubitarum, ut in vetere testamento sunt liber Hester & Judith, liber Tobie, Ecclesiasticus, liber Sapientie & Baruch, primus etiam & secundus Machabæorum. In novo autem testamento controversa aliquando fuit de quibusdam Epistolis, Divi Pauli ad Hebræos, S. Jacobi & S. Judæ, 2. S. Petri, 2. & 3. D. Joannis, cum ejusdem Apocalypsi: quæ tamen omnia ab Ecclesiâ jam sunt approbata, & inter libros canonicos recens-

De quibus
olim libris
fuerit dubi-
tatu utrum
essent cano-
nici.

ta, ut in Concilio Tridentino habetur Sessione quartâ.

Objicies secundò: Regula aperta esse debet, & omnibus perspicua, utpote ad quam veluti normam explorare sua quisque debet ne aberret. Quare sicut præcepta, ad quæ actus omnes voluntatis conformare nos oportet, clara esse debent & aperta, ut quid agendum sit cernamus, idem dicendum esse de regulâ intellectus. Jam verò Scriptura in plurimis locis est obscura, ita ut difficilimum sæpè videatur ejus sensum assequi. Imò aliquando literalem sensum sequi debemus, aliquando *litera occidit*. Sub eadem etiam literâ variis interdum sensus continentur, qui ejus obscuritatem non parum augent: unde vel hoc nomine non videtur apta Scriptura, quæ pro regulâ Fidei assignetur.

III.
Objic. Scri-
ptura est ob-
scura, ergo
non potest
esse regula
Fidei.

Variis sensus
Scripturam
reddunt ob-
scuram.

Respondetur, esse quidem sacram Scripturam variis locis obscuram, quod etiam testatur Sanctus Petrus Epist. 2. cap. 3. vers. 16. ubi de Epistolis D. Pauli loquens: *In quibus, inquit, sunt multa difficilia intellectu. & Psalmo 118. vers. 18. orat Propheta Regius ut Deus ipsi Scripturæ intelligentiam concedat: Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuâ.* Hæc verò obscuritas provenit, tum ab altitudine & sublimitate rerum, quæ ibi continentur, tum ex brevi & succincto scribendi modo, & summa etiam mytheria paucis tradendi. Hinc autem solum conficitur, dari debere regulam aliquam vivam, ad quam tanquam ad oraculum pro difficiliorum locorum Scripturæ explanatione debeamus confugere, nempe Ecclesiam, nec Scripturam sacram proprio ac privato judicio esse intelligendam. Ad rectam verò insuper divinarum literarum intelligentiam plurimum conducit unanimis consensus Patrum, ut docet Concilium Tridentinum sess. quartâ citatâ: quibus proinde, ubi in eadem loci alicujus Scripturæ interpretatione conspirant, refragari prohibet eodem loco Concilium: nam, ut docet S. Augustinus 18. de Civitate Dei, c. 41. non est verisimile Patres sine peculiari Spiritus Sancti assentiâ hoc modo in eâ explicatione consentire.

IV.
Certum est
sacras Lite-
ras magnâ
ex parte esse
obscuras.

Ad Eccle-
siam tan-
quam ad
oraculum
pro explica-
tione Scri-
pturæ re-
currendum.

A communi
Patrum
consensu nun
recedendum

Ad id quod numero tertio addebatur, varios esse Scripturæ sensus, & inde etiam nasci illius obscuritatem: fateor ita esse, sed hoc solum probat quod numero præcedente diximus, dari scilicet debere regulam vivam, cujus hæc in re judicio stare oporteat, & illius interpretationem pro verâ & certâ admittere. Ut verò quadam de hæc sensuum varietate adscribam, quam benè declarat Suarez, & alii: Scripturæ sensus est duplex, primus *Literalis*, qui per verba directè & immediatè significatur. Hic verò sensus duplex est, *Proprius*, quem verba prout sonant, & in genuinâ acceptione denotant, ac *Metaphoricus*, quando scilicet verba à proprio sensu ad improprium transferuntur. *Sensus Mysticus*, quem aliqui spiritalium appellant, est ille, qui non tam in verbis, quam in rebus per verba significatis continetur, nam, ut rectè Suarez & alii, in divino sermone non verba solummodo, sed ipsa etiam Tropologia per verba denotata significant. Hic verò sensus est triplex, *Tropologicus*, qui & *Moralis* dicitur, & ad mores pertinet: *Anagogicus*, qui secundum omnes ad statum felicitatis æternæ, ac beatitudinem refertur. Tertius sensus est *Allegoricus*, qui ad præsentis vitæ, seu Ecclesiæ militantis statum, & Christi Domini mytheria declaranda atque illustranda ordinatur.

V.
Adjiciuntur
nonnulla de
variis sacra
Scripturæ
sensus.

Sensus lite-
ralis & mys-
ticus, pro-
prius & me-
taphoricus.

Sensus Tro-
pologicus,
Anagogicus,
& Allegori-
cus.

Objicies

VI. Objicies tertio: Quædam à scriptore canonico aliquando ex proprio spiritu Scripturæ interferi, quæque divinâ inspiratione ac spiritu videntur indigna, qualia sunt familiares quædam salutationes in Epistolis Apostolorum, Tobiam habuisse canem, & id genus alia: si ergo aliqua in Scripturâ sint purè humana, seu proprio spiritu à scriptore illo exarata, unde nobis constabit omnia non esse hujusmodi, sicque nihil certum & infallibile in Scripturâ habebimus.

VII. Respondetur nihil omnino esse in Scripturâ quod spiritu humano & proprio exaratum sit, sed quicquid in eâ est, procedit à Spiritu Sancto, & ex illius instinctu & inspiratione scribitur. Semper ergo scriptio est ex inspiratione divinâ, quamvis factum vel statutum non sit semper peculiari modo à Spiritu Sancto. Hoc constare videtur ex illo Apostoli primâ ad Corinthios 7. vers. 10. & 12. ubi de nonnullis dicit: *Fræcipio non ego, sed Dominus*: de aliis verò: *Ego dico, non Dominus*: & hoc tamen & illud ex Spiritu Sancti inspiratione est literis ab Apostolo mandatum.

VIII. Objicies quartò: Regula uniformis semper & eadem esse debet, Scriptura autem tum ob varias in diversâ idiomata translationes, tum differentes in eadem linguâ lectiones varia videtur, ergo adhiberi nequit pro regulâ uniformi. Respondetur, Concilium Tridentinum ut difficultati, quæ ex varietate diversarum Scripturæ editionum, lectionum, & translationum oritur, occurreret, hanc edidit sanctionem sess. 4. §. 2. *Statuit & declarat (Sancta Synodus) ut hec vetus, & vulgata editio, qua longo tot seculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus præ authenticâ habeatur, & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu audeat vel præsumat.*

SECTIO TERTIA.

De Traditionibus: & an sint infallibilis regula Fidei.

I. TRADITIO, ut vox ipsa sonat, est quid datum seu traditum: in præsentî verò significat doctrinam ad religionem spectantem, quæ nec ab Hagiographis nec Ecclesiâ sit scripta, qua de causâ vocatur Verbum Dei non scriptum. Si ergo à Christo immediatè profecta sit, dicitur traditio divina; si ab Apostolis, ut est illa, quod scilicet bigamus non sit ordinandus, appellatur Apostolica; si denique ab Ecclesiâ, Ecclesiastica. Traditiones verò Apostolorum & Ecclesiæ ad religionem pertinentes sunt etiam Verbum Dei, utpote à Deo ipsis inspiratæ, juxta illud Matthæi 10. vers. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: quæ proinde sunt etiam regula infallibilis Fidei, non minus quam Scriptura ipsa. Hæc porro traditiones partim doctrinales sunt, partim morales.

II. Dari itaque in Ecclesiâ hujusmodi traditiones constans est Catholicorum omnium sententia contra nostri temporis sectarios. Probatur primò ex illo Epistolæ 2. D. Pauli ad Thessalonicenses, cap. 2. vers. 14. *Itaque fratres siate, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Idem ostenditur ex illo 1. ad Corinthios cap. 12. vers. 2. *Laudo vos*

fratres, quod per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Plura sacre Scripturæ ad hanc veritatem probandam testimonia videri possunt apud Tannerum hic, Disp. 1. q. 5. dub. 3. numero 98. & 99.

Hoc insuper in variis Conciliis definitur, ut in septimâ Synodo; Actione secundâ, in quintâ Synodo Constant. Act. 10. & jam novissimè in Concilio Tridentino, sessione quartâ. Accedunt Patres, qui non semel hanc veritatem nobis aperitissimè tradunt: unde S. Augustinus Epistolâ tertiâ, & 86. & libro secundo contra Julianum, de Patribus loquens sic habet: *Quod invenerunt in Ecclesiâ, tenuerunt, & quod à suis Patribus didicerunt, nobis tradiderunt, & à nobis idem faciendum S. Doctor esse affirmat.* Idem docet Sanctus Irenæus libro 3. cap. 3. & 4. S. Dionysius, Chrysostomus, Cyprianus, & alii: omnium autem clarissimè S. Basilius libro de Spiritu Sancto, cap. 7. ubi cum dixisset quædam dogmata esse scripta, quædam ex traditione Apostolorum, sic subjungit: *Vtraque parem vim habent adpietatem.* Capite etiam 29. ait: *Apostolicam esse, etiam traditionibus non scriptis inhaerere.*

Deinde ante Moysen nulla erat Scriptura, & nihilominus erat Fides, & varia ob auctoritatem divinam credebantur: quod etiam contigit post Christum, octo illis annis antequam S. Mattheus, qui fuit primus scriptor canonicus, scripsit Evangelium, ergo illis temporibus traditio erat certa regula Fidei, ergo etiamnum est in iis rebus, quæ in Scripturâ non exprimuntur, qualia sunt quod ipsa Scriptura sit authentica, quod dies Dominicus celebrandus sit loco Sabbathi, Sanctissimæ Matris Dei perpetua virginitas contra Helvidium, & alia, quæ Fide certa habentur, & tamen in Scripturâ non reperiuntur, ut est manifestum.

Dices primò: In ipsamet Scripturâ variis locis prohibetur, ut Deuteronomii 4. & Apocalypsis 22. vers. 18. ne quis aliquid Scripturæ tantquam doctrinam Fidei adjiciat; sed secundum nos traditiones sunt hujusmodi, ergo. Respondetur primò, illis locis aliud non prohiberi, quam nequid Scripturæ addatur tantquam pars illius, traditiones autem hoc modo non adduntur, sed ut quædam præter ea, quæ in Scripturâ sunt, credenda & observanda. Deinde locis illis solum prohibetur ne quidquam Scripturæ addatur ei contrarium, quodque sensum illius mutet & corrumpat: & hujusmodi traditiones vocantur in divinis literis traditiones hominum, non verò illæ, de quibus hic loquimur, quæ nimirum vel à Christo, vel Apostolis, vel Ecclesiâ auctoritate divinâ credendæ fidelibus proponuntur.

Dices secundò: Hinc plurimum de dignitate Scripturæ detrahi, ejusque excellentiæ derogari, utpote quæ diminuta censetur, si quidquam ad fidem pertinens, seu quod necessarium est ad credendum, in eâ non contineatur. Imo hoc expressè videtur contra Apostolum 2. ad Timotheum tertio, vers. 18. & Sanctos Patres asserentes Scripturam sufficere ad salutem. Respondetur, non velle Patres omnia omnino credenda, quæ ad salutis consecutionem conferunt, in Scripturâ explicitè contineri, sed præcipua tantum Fidei mysteria, quæque capita ac fundamenta sint unde alia deducantur: novum enim Testamentum brevi & conciso modo est scriptum, qua de causâ, ut notat Suarez, à Patribus appellatur *Verbum abbreviatum*. Deinde Scriptura non probat expressè se esse Scripturam, sed hoc habetur ex traditione

III. Ex Concilio & Patribus ostenditur dari traditiones non scriptas.

Variæ sanctorum Patrum testimonia.

IV. Diversæ temporibus traditio fuit certa regula Fidei.

Multa creduntur etiam solum traditionum.

V. Traditiones non adduntur Scripturæ ut partes illius, sed ut aliqua præter ea; quæ in Scripturâ sunt, credenda.

Quoniam traditiones in Scripturâ vocantur traditiones hominum.

VI. Non est necessarium ut omnia plane, quæ ad salutem obtinendam conferunt, habeantur in Scripturâ.

Quare Scriptura vocatur Verbum abbreviatum.

Tom. II. traditione seu definitione Ecclesiæ juxta illud S. Augustini: Ego Evangelio non crederem, nisi Ecclesiâ me moveret auctoritas; ergo omnia non habentur in Scripturâ, sed quædam aliunde defuntur.

VII. Quod verò à nonnullis objicitur, traditiones variis incommodis esse expositas, earum siquidem facile obliviscuntur homines, suntque mutationi obnoxia, & id genus alia, ergo non videntur habere certitudinem & infallibilitatem Fidei. Respondetur, ex naturâ rei eadem incommoda circa Scripturam accidere posse, ac circa traditiones, tum ob diversitatem lingua-

rum in quas transfertur, variasque in eodem idiomate lectiones: tractu etiam temporum amitti sancti libri possunt, & corrumpi. Sicut ergo de Scripturâ, ita etiam de Traditionibus providet Deus ne hæc incommoda circa illas accidant.

Quæres: Unde dignosci possint traditiones divinæ à traditionibus hominum, seu veræ à supposititijs? Respondetur, variis modis hoc fieri posse, nempe ex consensu Patrum, ex communi fidelium conspiratione, & quod caput est, ex Ecclesiæ, quæ columna est & firmamentum veritatis, definitione.

VIII. Unde Traditiones veræ discernantur à supposititijs.

Seculâ Spiritus sancti assistentiâ eadem sunt incommoda circa Scripturam, ac circa Traditiones.

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA.

De Ecclesiâ.

INFALLIBILES regula Fidei, ut Disputatione præcedente ostendimus, in duplici sunt genere; alia enim sunt viva seu animata, alia inanimata: de his jam dictum est: de vivis autem, cum hic proprius sit de iis disputandi locus, nunc agemus, & primò de Ecclesiâ, cujus viva, visibilis & infallibilis auctoritas omnino est necessaria tum ad verum sacra Scripturæ sensum nobis tradendum, & ea qua credenda sunt ritè proponenda, tum ad difficultates & controversias, qua identidem oriri solent terminandas ac decidendas.

SECTIO PRIMA.

Sitne ad res Fidei viva aliqua, & animata regula necessaria.

I. Viva & visibilis regula necessaria declaratur.



CONSTANS est Orthodoxorum omnium sententia vivam aliquam & visibilem regulam planè esse necessariam. Ratio est; quòdiana enim constat experientiâ varias in rebus Fidei oriri controversias, etiam circa Scripturam, quæ proinde Scripturâ dirimi non possunt, maxime cum ut supra vidimus sit obscura: viva ergo aliqua regula, quæ has lites dirimat, ac finem tot controversiis imponat, est necessaria, nempe Ecclesiâ, utpote quam nos audire jubet Christus, ejusque judicio stare; nec enim sine hujusmodi aliquâ auctoritate debitum Ecclesiæ regimen potest consistere. Hinc S. Hieronymus contra Luciferianum: Si, inquit, non sit in Ecclesiâ una eminentis potestas, tot futura sunt schismata, quot sacerdotes. Plura hac de re numero sequente.

Sine hac regula stare rectum regimen non potest.

II. Scriptura, quæ quid dicant se-

Heretici nihilominus ut judicium Ecclesiæ subterfugiant, negant ullam vivam regulam esse necessariam, sed scripturam autem unicam esse

normam & regulam Fidei, utpote quam claram esse docent, & ad omnes omnino Fidei controversias decidendas abundè per se sufficere. Sed, ut Disputatione præcedente, sectione secundâ ostensum est, Scriptura, quicquid dicant sectarij, est obscura, quod aperte ostenditur ex tot tamque diversis ejusdem interdum loci interpretationibus, summâque inter doctissimos etiam viros, ipsosque adeo Ecclesiæ Patres de Scripturæ sensu & intelligentiâ sententiârum diversitate; unde & sese invicem hac de re frequenter consulebant, ut ex variis Sancti Hieronymi & S. Augustini scriptis mutuo de hoc ipso argumento literis constat.

Clarè, non est clara, nec apta per se regula Fidei.

Scripturâ obscuritatem agnoscunt sancti Patres.

Idem insuper clarissimè ostendit ipsorum etiam sectariorum de Scripturæ sensu inter se dissenso, ubi quot capita, tot ferme sunt sententiæ, miræque hac in parte inter se digladiantur: unde de illis quatuor verbis: Hoc est corpus meum, incredibile est quot, quàmque diversæ, imo oppositæ inter eos sint sententiæ: quod etiam de alijs Scripturæ locis est manifestum, de quibus gravissima passim apud ipsos dissidia ac disceptationes videmus, alijs alios acerrimè impugnantibus, & ignorantiam in sacrarum literarum expositione, ac cæcitatem exprobrantibus. Sicque dum faciam Scripturam, quam Sole clariorem esse dictitant,

III. Ignorantiam sibi invicem & cæcitatem exprobrant heretici.